

**XVIII. IANVARII.  
DE S. LEOBARDO RECLVSO IN MAIORI-  
MONASTERIO APVD TVRONES.  
VITA AVCTORE S. GREGORIO EPISC.  
TVRON.**

**Leobardus, Reclusus in Gallia**

[1] Ecclesia fidelis ædificatur, quotiescumque Sanctorum gesta deuotissime replicantur: & licet de his teneat maximum gaudium, qui ab initio ætatis religiosam vitam duxerunt, peruenire meruerunt ad perfectionis portum; tamen & de his, Domino iubente, lætatur, qui conuersi a sæculo, opus inchoatum valuerunt perducere, diuina opitulante misericordia, ad effectum.

[2] Igitur Beatissimus Leobardus Aruernici territorij indigena fuit, genere quidem non Senatorio, ingenuo tamen: qui ab initio Deum in pectore tenens, cum non floreret natalibus gloriosis, tamen meritis præfulgebat. [S. Leobardus litteras discit:] Hic tempore debito cum reliquis pueris ad scholam missus, quidpiam de psalmis memoriæ commendauit, & nesciens se Clericum esse futurum, iam ad Dominicum parabatur innocens ministerium.

[3] Sed cum ad legitimam peruenisset ætatem, cogentibus iuxta consuetudinem humanam parentibus, arrham puellæ, quasi vxorem accepturus, dare impellitur. Illo vero respuente, ait pater: Cur, dulcissime fili, [contrahit cum puella sponsalia:] voluntatem paternam respuis, nec iungi vis connubio, vt semen excites nostro de genere, sæculis sequentibus profuturum? Casso enim labore exercemur ad operandum, si possessor deerit ad fruendum. Quare implemus domum opibus, si de genere

nostro non processerit, qui vtatur? Quid mancipia dato pretio nostris ditionibus subiugamus, si rursum alienis debent dominationibus subiacere? Obedire filios debere voci parentum scripturæ testantur diuinæ: & tu cum inobediens esse parentibus probaris, vide ne te cælestibus eruere nequeas ab offensis. Hæc patre eloquente, licet haberet alios filios, facile tamen tali ætatulæ persuasit, voluntati suæ non contraire. Denique dato sponsæ annulo, porrigit osculum, præbet calceamentum, celebrat sponsalium diem festum.

[4] Interea genitor genitrixque, mortis somno sopiti, migrauerunt a sæculo, vitæ præsentis curriculo iam peracto. Hic vero cum vno germano, tempore luctus expleto, oneratus donis nuptialibus alterius fratris pergit ad domum: quem in tantum reperit vino madidum, vt nec cognosceret, nec recipere vellet propria in domo germanum. Ille vero suspirans & lacrymans, secessit in partem, venitque ad tugurium, in quo fœnum fuerat aggregatum, atque ibi colligato præbens equo pabulum, decubuit super fœnum ad quiescendum. Expergefactus autem media nocte, surgit de stratu suo, erectisque ad cælum manibus, gratias agere cœpit omnipotenti Deo, quod esset, quod viueret, [deliberat de relinquendo seculo:] quod aleretur donis eius, & alia multa huiusmodi prosecutus. Cumque suspiria longa protraheret, atque lacrymis crebris genas vbertim rigaret; Deus omnipotens, qui illos quos præsciuit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, compunxit cor eius, vt relicto seculo manciparetur ad cultum diuinum. Tunc ille quasi iam Sacerdos custosque animæ suæ, prædicare sibi ipsi exorsus est, dicens: Quid agis anima? quid in ambiguo suspensa teneris? Vanum est enim seculum, vanæ sunt concupiscentiæ eius, vana gloria mundi, & ea, quæ in illo sunt, omnia vanitas. Melius est igitur relinquere eum, & sequi Dominum, quam ad eius opera præbere consensum.

[5] [adit Maius monasterium:] Hæc effatus, cum diem terris reddere lux diurna cœpisset, ascenso equo cœpit ad hospitium suum reuerti. Cumque per viam iam alacris pergeret, voluere intra se cœpit, quid ageret, quo abiret; dixitque: Expetam S. Martini tumulum, vnde procedit virtus alma super infirmos; credo enim, quod & mihi eius oratio iter reseret ad Deum, qui deprecatus ipsum Dominum, mortuos reduxit a tartaro. Et sic viam carpens, oratione comite, S. Martini basilicam est ingressus: circa quam diebus paucis commoratus, transito amne, ad cellulam Maiori monasterio propinquam, de qua Alaricus quidam recesserat, deuotus accessit: ibique se, propriis manibus membranam faciens, ad scribendum aptauit; ibi se, vt Scripturas sanctas intelligeret, ac Daudici carminis psalmos, qui dudum exciderant, memoria retineret, exercuit. Sicque diuinarum Scripturarum lectionibus eruditus, cognouit verum esse quod ei Dominus prius inspirauit in corde. Sed ne hæc cuiquam fabulosa videantur, quæ retulimus, testor Deum, qui ab ipsius benedicti hæc ore cognoui.

[6] [isthic sancte viuit:] At vero interposito pauci temporis spatio, talem se tantumque præbuit, vt honoraretur ab omnibus: acceptoque sarculo, cellulam in quam ingressus fuerat, incidens lapidem, ampliavit: in qua cellula delectabatur ieiuniis, oratione, psallentio, lectione: nec vnquam a diuinis officiis & oratione cessabat. Scribebat interdum, vt se a cogitationibus noxiis discuteret.

[7] Interea vero vt se tentator manifestaret Dei seruis semper inimicum ac inuidum, cum quidam de sanctis monachis litem quamdam cum vicinis fratribus habuisset, immisit ei cogitationem, vt relicta cellula illa, ad aliam transmigraret. [tentatus, a S. Gregorio Turonensi confirmatur:] Cumque ibi ad orationem solito deuenissemus, dolum nobis veneni grassantis aperuit. Ego vero suspirans non minimo dolore, increpare hominem

cæpi, asserens diaboli esse calliditatem, librosque ei & vitas Patrum, ac institutionem monachorum, vel quales, qui recluduntur, esse debeant, vel cum quali cautela monachos vivere oporteat, abscedens ab eo, direxi. Quibus relictis, non solum cogitationem prauam a se discussit, verum etiam tanto sensum acumine erudiuit, vt miraremur facundiam locutionis eius. Erat enim dulcis eloquio, blandus hortatu, eratque ei sollicitudo pro populis, inquisitio pro Regibus, oratio assidua pro omnibus Ecclesiasticis Deum timentibus. Verumtamen nec sibi, vt quidam, demissis capillorum flagellis, aut barbæ demissione plaudebat; sed certo tempore capillum tondebat, & barbam.

[8] In qua cellula viginti & duos annos in hoc opere degens, tanta Domini gratia confortatus est, vt pustulis malis salua oris sui perunctis, [pustulas & febres miraculose sanat:] vim veneni sæuientis opprimeret. Frigorificis vero per poculum vini, caractere Crucis beatæ sanctificatum, frigus accedens, æstumque restinxit; non immerito discutiens incommodas febres ab aliis, qui in se extinxerat incentiua criminis noxialis.

[9] Quodam autem tempore cæcus ad eum veniens, ærumnas doloris sui humiliter complangens, implorabat atque deposcebat, vt tactu dextræ suæ Sanctus lumina clausa palparet. Quod ille diutissime renuens, tandem fletibus hominis victus, misericordia motus, cum per triduum orationem pro eo fudisset ad Dominum, quarta die imponens manum super oculos eius, ait: Domine omnipotens, fili vnigenite Dei Patris, qui cum eo ac Spiritu sancto regnas in secula, qui homini a natiuitate cæco reddidisti lucem beati oris sputo, tu redde & huic famulo tuo luminis visum, vt cognoscat, quia tu es Dominus omnipotens. Et hæc dicens, vt Crucem super oculos cæci depinxit, mox pulsus tenebris, [Cæco visum restituit:] ad

preces eius ei Dominus lucem restituit. Huius virtutis testimonio Eustachius Abbas adstipulator assistit.

[10] [obitum suum prædicit:] Denique hic de labore lapidis submontani, quem assidue cædebat, confractus, ieiunij austeritate confectus, oratione indesinenti debilitatus, cœpit paullatim corporis firmitate destitui. Quadam autem die, dum nimium fessus haberetur, nos ad se vocari præcepit. Ad quem accedentes, postquam funeris sui necessitatem defleuit, Eulogias a nobis peccatoribus flagitavit. Quibus acceptis, hausto mero, ait: Tempus meum iam impletur, vt me Dominus ab huius corporis vinculis iubeat relaxari: sed adhuc paucis diebus erit spatium: verumtamen ante diem sanctum Paschæ vocandus sum. O beatum virum, qui sic seruiuit Creatori omnium, vt suum obitum reuelatione diuina cognosceret! Erat enim mensis decimus, quando hæc est effatus.

[11] Duodecimo autem mense cœpit iterum grauiter ægrotare. Aduenit dies Dominica, [moritur:] vocat ministrum suum, & ait: Præpara quiddam cibi, quod accipiam, quia valde defessum me sentio. Illo autem respondente: Præsto est, Domine, ait ad eum: Egredere foras, & adspice, si iam celebratis solemnibus populus de Missis egreditur. Hoc autem dicebat, non quod cibum capere vellet, sed vt transitus sui nullus testis adesset. Ille igitur egressus, ac postmodum reuertens, cum ingressus fuisset cellulam, inuenit virum Dei extensum corpore, clausis oculis spiritum exhalasse. Vnde factum est manifestum, eum ab Angelis susceptum, qui hominem adesse noluit suum sacer Heros ad transitum. Hæc cernens minister ille, eleuauit vocem in fletu, sicque concurrentibus reliquis Fratribus, ablutus, ac vestimentis dignis indutus, [claret miraculis.] in sepulchro, quod ipse sibi in antedicta cellula sculpserat, reconditus est. Quem in consortio Sanctorum adscitum, miraculis crebris prodentibus, nulli fidelium haberi reor incertum.

## **Annotata**

**De eulogiis alibi dictum. Eucharistia hic intelligi potest, qua significatione etiam ea vox vsurpatur.**

**Videtur qui primus Leobardi nomen inscripsit Martyrologio, Decembrem intellexisse. at cum mentio fiat Paschatis, ante quod se moriturum prædixit, potius Februarius aut Martius accipi debet, siue vltimus anni in Paschate finiendi. Si tamen alioquin XVIII. Ianuarij, die Dominico obiit; ergo an. 582. vel potius 588.**